



DISPUTATIONIS JURIDICÆ INAUGURA-
LIS LOCO
DECADEM CON-
TROVERSARUM JURIS
POSITIONUM.

Aspirante Divino Numine,

Authoritate & Decreto Magnifici Jctorum Ordinis,
In Illustri

CHRISTIAN - ALBERTINA
PRÆSIDE

NICOLAO MARTINI, JC.

Novell, ac Philos. Civil. Prof. Publ. celeberrimo,
& Facultatis suæ h. t. DECANO,

PRO LICENTIA.

*Summos in Utroq; Jure Honores, Privi-
legia ac Immunitates Doctorales ritè ac legiti-
mè impetrandi,*

Publico Doctorum Examine subicit

HENRICUS CHRISTOPHORUS

HAMMERMÜLLER, Lipsiensis.

Ad diem Octobr. 1677.

Horis ante - & Pomeridianis.

KILONI,

Literis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.

313.

4

1677, 2

15

4 1/2

11.

DISPUTATIONIS JURIDICAE INAUGURALIS

DE CADAM COM

PROVERSARUM JURIS

POSITIONUM

APERTIS DICTIO NUMERIS

Auctoritate & Decreto Magnifici Germani Ordinis

CHRISTIANAE ALBERTINAE

NICOLAUS MARTINI, J.C.

Novellae & Libellus Civilis Publico Examinando

PRO DICENTIA

Summos in Urbe Juris Honoris Privi

legit in Universitate Bedoncha etc. etc. etc.

Publico Examinando Examinari Substitut

HENRICUS CHRISTOPHORUS

HAMMERMEYER, Lipsiae

Ad curiam ordinis

Honoris etc. & Pontificionis

Kiloni

Lucius & Co. Kiloni





PRÆLOQUIUM.

Non dubito fore plerosque, Amice Lector, qui hoc genus conscribendi Disputationem leve, & non satis dignum Eruditorum Virorum lecturâ judicent. Fateor equidem, receptissimi hodiè in Academiis moris esse, ut loco Inauguralis, quam vocant, Disputationis, certa aliqua Juris Materia satis prolixè, quoad quidem fieri potest, pertractetur. Quâ in re Expectationi quoque tuæ deesse non voluissèm, nisi in procinctu itineris constitutus, temporis penuria exclusus fuissèm. Proinde compendiosiori viâ rem aggressus sum, ac per Theses solummodo id explicavi, quod alias amplissimis dissertationibus exprimi poterat: quâ in re operam planè lusisse mihi non videor, cum me vestigiis insistentem Excellent. quondam Illustris hujus Academiae Antecessoris, quem idem factitasse aliquando percepi, non facile errare potuisse crediderim. Sicubi fortè hallucinari tibi videbor, festinationi meæ & humanæ conditionis imperfectioni id adscribas rogo, cum tempore exclusus, adeo exactam diligentiam huic rei adhibere nequiverim. Alio forsân, DEO dante, tempore, comtior tibi & magis limata à me exhibebitur dissertatio. Tuum interim est, omnia pro candore tuo in meliorem partem interpretari. Monitu tamen sapientiorum aliquid didicisse aut emendasse, dedecori mihi ducturus non sum.

A 2

I. N. J.

4
I. N. 7.
EX JURE CIVILI.

Th. I.

Cum inter illos, qui diversa circa DEUM & divina sentiunt, haud facile divinum jus communicari possit, Matrimonium autem *¶ Cto in l. 1. ff. de Rit. Nupt.* sit divini & humani juris communicatio, hinc non immeritò in controversiam vocatur, An inter diverse Religionis homines nuptiae rectè contrahi queant? Primò certè intuitu illi, qui disparem fovent Religionem, adeò iniquè jungi non videntur. Præter auctoritatem enim Apostoli, cui *I. ad Cor. VII, 12. & seq.* hujusmodi conjugia rata sunt, exempla passim in Scripturis reperiuntur, quibus talia matrimonia stabiliri posse videntur. Sacrum enim evolventibus Codicem statim sese offert exemplum castitatis laude insigniti Josephi, Jacobi Patriarchæ filii, de quò, quod mulierem duxerit Ægyptiacam, ex familiâ Potipherai, *Genes. XLI, 45.* legere est; Imò ipsum etiam Moysen, Virum alioquin, uti constat, sanctissimum, alienigenam, Ziporam nempè Midianitarum Sacerdotis filiam, matrimonio sibi junxisse deprehendimus, *Exod. II, 21.* Quid? quòd & tota Gens Israëlitica habuerit jus connubii cum muliere Gentili captivâ, legitur *Deut. XXI, 11, & seqq.* Quod ad Jus Civile, occurrunt *l. 5. C. de Sponsal. & l. 16. in pr. C. de Episc. Aud.* quibus *Bach. ad Treutl. vol. 2. Disp. 6. th. 1. lit. E.* demonstrare conatur; Sponsalia inter fideles & infideles rectè consistere. Sponsaliorum autem, nisi nuptiæ subsequantur, nullus est usus, *arg. l. 1. ff. de Sponsal.* Porro objicit Bachovius quòd infide-

5

315.

fideles sint Cives Romani, æquè ac fideles, ex Constitutione enim Antonini Imp. omnes qui in Orbe Romano sunt, Cives Romani sunt, *l. 17. ff. de Stat. hom.* Inter Cives autem Romanos justæ sint nuptiæ, *pr. Inst. de Nupt.* Quamvis autem hæc speciosa videantur, movere tamen nos non possunt, quin contrariam potiùs sententiam amplectendam ducamus, ac statuamus, illos qui disparis sunt Religionis, neq; Jure Divino, neque Jure Civili, neque Jure Canonico, rectè matrimonio jungi. Quoad Jus Divinum confirmatur Sententia nostra autoritate Scripturæ Sacræ, in quâ passim ejusmodi matrimonia prohibentur; *Exod. XXXIV, 16. Deut. VII, 3.* item *II. ad Corinth. VI, 14.* Jure deinde Civili, habemus textum expressum in *l. 6. C. de Jud. & Cæl.* ubi matrimonia hæc satis perspicuè damnantur. Quamquam enim *Bachovius d. l.* textum hunc ad solos Judæos restringat, quin tamen de aliis quoque infidelibus, cum par sit prohibitionis ratio, accipi queat, nihil obstare videmus. Sic etiam Jure Canonico Christianus Judæam aut Paganam in uxorem accipere prohibetur, *Can. Cive 15. XXVII. qu. 1.* quem Canonem ex Ambrosii lib. I. de Patriarcha Abraham cap. IX. non adeò bonâ fide à Decreti Compilatore Gratiano descriptum, suæ restituit integritati *Covarruvias de Matrim. part. 2, cap. 6. §. ult. n. 2.* ubi simul antiquam Ecclesiæ circa hanc rem prohibitionem notat, allegans præter alios *Cyprianum*, qui in sermone de lapsis ita scribit: *Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, est prostituere cum Gentilibus membra Christi.* Nec movent illa, quæ in principio thesæos pro contrariâ sententiâ allata fuerunt. Locus enim *Pauli I. ad Cor. VII.* si penitus inspiciatur, videre est, eum accipiendum esse, de matrimonio non contrahendô, sed

6

contractō. Nimirum hæc est mens Apostoli, si post conversionem unius vel alterius Conjugum, infidelis consentiat, absque contumeliâ Creatoris, cohabitare fideli, matrimonium jam ante contractum, non esse dirimendum. Aliter se res habet, si agatur de contrahendo, propter illa quæ supra fuerunt allata. Ut adeò mirum videatur *Covarruvia part. 2. de Matrim. c. 6. §. 11. n. 3.* quòd *Joh. Igneus in l. fideicommissum n. 143. ff. de SC. Syllan.* dixerit, dictam Ecclesiæ prohibitionem matrimonii cum infideli esse contra Paulum Apostolum *in d. cap. VII.* Habemus autem hic obloquentem cum multis aliis Augustinum, qui torrentis instar extra viam abreptus, matrimonium cum infideli contractum ob solam infidelitatem dissolvendum esse contendit. Præsupponit nempe Crimen *amisiōis* seu infidelitatis longè gravius ac detestabilius esse Adulterio, jam autem constare ait, Adulterio dirimi matrimonium, ex quò infert propter infidelitatem, utpote majus Crimen dissolvendum quoque esse matrimonium. Sed reponendum est Augustino, non comparari inter se in hōc casu hæc Crimina, ut, utrum sit gravius coram DEO, dispiciatur, sed ut quod magis repugnat naturæ matrimonii, id longè gravissimum habeatur. Idolatra enim atque adeò impius quis esse potest, & tamen Maritus, eòdem modò quò in Politicis potest quis esse Civis bonus, nec tamen Vir bonus. Adulter autem simul & Maritus esse nemo potest. Itaque matrimonium adulterio, non autem impietate, dissolvi mirum videri nemini debet. Ad exempla Josephi & Moysis præter vulgatum, quòd non exemplis sed legibus sit judicandum, responderi potest: pro certo affirmari non posse, Conjuges illorum fuisse infideles, quamvis enim fortè ab infidelibus progenerata fuerint paren-

7

316.

parentibus, facile tamen à Maritis ad veram Religionem
converti potuerunt. Ziporam certè aliquam veri DEI cul-
tûs notitiam habuisse *ex cap. IV. Exod. vers. 24. & seqq.* a-
liquo modo colligi potest. Objicitur porrò cap. XXI, Deut.
vers. II. & seqq. ubi Israëlitam habuisse jus connubii cum
muliere gentili captivâ asseritur. Sed respondetur; ca-
ptivam illam non potuisse dici infidelem, quia jungenda
Domino Israëlitæ abjurare, ut *ex vers. 13.* constat, teneba-
tur omnia patria. Accedit, quod, si *in dict. cap. XXI.* nuptiæ
infidelium in genere, concederentur, sequatur feminas
etiam Israëliticas, viro Gentili nubere potuisse, quod ta-
men nusquam legitur. Quod porro concernit *l. 5. C. de*
Sponsal. l. 16. in pr. C. de Episc. Aud. à Bachovio prolatas, cum
agant de matrimonio contrahendo, circa illas distinguen-
dum est. Aut enim Christiana persona (sive vir sive mu-
lier sit, perindè est) jungi vult matrimonio cum illâ, quæ
est extra Ecclesiam, quo referuntur Judæi, Turcæ, Ethnici
& similes: & hõc casu non permittitur matrimonium, si
infidelis recusat Christianam fidem profiteri: DEUM enim
ejusmodi nuptias prohibuisse, supra demonstratum dedi-
mus. Non tamen extra Ecclesiam sunt, qui in uno aut al-
terò Christianæ Religionis articulo à nobis discrepant. Inter
Christianam igitur & diversæ Religionis hominem, in qui-
busdam capitibus Religionis dissidentem, matrimonium
contrahere licet *l. 16. C. de Episc. Aud. l. 5. pen. C. de Sponsal.*
Denique non obstat, quòd infideles sint Cives Romani, in-
ter Cives autem Romanos justæ contrahantur nuptiæ: Id
enim concedimus, nisi alia causa interveniat, quæ eis obi-
cem ponat. Pater & filia sunt Cives Romani, nuptiæ ta-
men inter ipsos consistere non possunt, tùm propter pro-
hibitio-

8
hibitionem Juris Naturalis, tùm propter repetitionem e-
jusdem prohibitionis in Jure Civili. Ita in nostro quoque
casu sese res habet, etsi enim infideles Cives Romani sint,
Jus tamen Divinum, Civile & Canonicum conjunctioni il-
lorum repugnant, adeoque talia matrimonia rectè non ad-
mittuntur.

Th. II.

Vulgatum est Jctorum dictorium: Consensus facit
nuptias (de cujus duplici sensu eleganter agit Dn. Pufen-
dorff. *de Jur. Nat. & Gent. lib. 6. cap. 1. n. 14.*) *l. 30. ff. de R. J.*
l. 32. §. 13. ff. de Donat. int. vir. & ux. l. 15. ff. de Cond. & de-
monstr. can. cum initiatur. s. XXVII. q. 2. ibi: Non defloratio
Virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis; cum
jungitur puella, conjugium est, non cum viri admixtione co-
gnoscitur. Et can. 6. Conjuges appellantur à primâ despon-
sationis fide, quamvis ignoretur adhuc inter eos conjuga-
lis concubitus. Ut inde certum sit, nuptias inter illos, qui
Sponsalia inter sese celebrarunt, verè consistere, perfectè e-
nim alter in alteram consenserunt. His ita positis, operæ
pretium est inquirere; si hodiè contractis Sponsalibus, Spon-
sus ante Interventum isegozias cum Sponsâ concumbat, &
non secutis nuptiis decedat, num inde natus pro legitimo ha-
bendus sit? Æquitas sanè exigit, ut affirmemus, modò pro-
missio matrimonii probetur. Si enim solus consensus, ut
jam demonstravimus, nuptias facit, quanto magis id erit o-
peraturus, si copula carnalis accesserit. v. Hartm. Pistor.
obs. Pract. 83. Quam sententiam, confirmatam in Electo-
ratu Saxonie Decis. Elect. 94., etiam favor partûs adjuvat,
qui attenditur in simili casu c. 14. X. qui filii sint legit. Qui
enim in utero sunt, quoties de ipsorum commodo quæri-
tur,

tur, pro jam natis habentur. *l. 26. ff. de Stat. Hom.* Negari
 autem posse videtur, propter defectum benedictionis Sa-
 cerdotalis, utpote sine quâ hodiè matrimonium non ha-
 betur legitimum. In Jure quidem Civili Romanorum men-
 tio hujus benedictionis injicitur nulla. Etsi enim in Dige-
 stis habeatur *Titulus de Ritu Nuptiarum*, quem è Paganismo
 illuc traduxit Tribonianus, Sacra Paganorum nuptialia ho-
 rumque appendices innuentem; Sacra tamen illa, quâ Sa-
 cra, prorsus abolita sunt Christianis. Verba quoque facit
Justinianus in l. 24. C. de Nupt. de festivitate nuptiali, sed
 per eam ibi non intelligitur præcisè Benedictio Sacra, sed
 actus qualiscunque quò nuptiæ celebratæ. Quod autem
in Novell. 74. cap. 4. §. 1. dicitur, contrahentes matrimoni-
 um venire debuisse ad quandam orationis domum sive
 templum; non in causâ fuit expectatio benedictionis Sa-
 cerdotalis, sed testimonii Clericorum, uti ex subsequen-
 tibus verbis patet; nec de omnibus nuptiis, sed de aliqui-
 bus tantum sic testimonio firmandis agit *Novella illa*, nu-
 ptiis scilicet nec illustriorum nec tenuiorum, sed homi-
 num mediocrium; Si autem intelligenda foret de benedi-
 ctione Sacerdotali, de omnium certè nuptiis conceptam
 eam esse necesse esset, ad omnium enim omnino nuptias
 cujuscunque gradus vel dignitatis sint, benedictio Sacer-
 dotalis requiritur. Constat itaque benedictionem Sacram
 Jure Romanorum incognitam fuisse. Cœpit autem pri-
 mam frequentari tempore *Leonis Imperatoris, circa annum*
Christi 900. aut circiter. Is enim eò tempore novam Consti-
 tutionem (est autem illa inter Constitutiones, seu, ut vul-
 gò dicuntur, *Novellas Leonis, octuagesima nona*) quâ ma-
 trimonia citra Sacram benedictionem inire vetuit, emisit,
 B qua

quæ postea undique ferè vim juris obtinuit, ita ut & hodiernum Sacerdotalis benedictio ad consummationem matrimonii necessariò requiratur, *vid. Selden. Uxor. Ebraic. lib. 2. c. 29. Carpz. Jurispr. Consist. lib. 2. def. 142.* Etsi verò hæc ita sint, exinde tamen colligi non potest, defectum benedictionis Sacerdotalis liberos reddere illegitimos; quamvis enim ipsa necessaria sit, & hodiè *ad formam externam & accidentalem* Conjugii pertineat, cum tamen ejus necessitas non sit alia quàm *precepti*, hoc est *extrinseca*, inde non efficit, ut si non observetur, matrimonium ipsum, quod sua essentialia habet, modò de illis verè constet, sit nullum, sed erit tantùm minus solenne. *v. Ziegler. Ius Canon. lib. 2. tit. 10. §. 17. p. m. 40. Bach. ad Wesenb. tit. de Rit. Nupt. n. 2. Carpz. p. 2. Const. 14. def. 12.*

Th. III.

Cùm omnis copula carnalis extra conjugium sit illicita, adeoque virginitas ad matrimonium usque servanda, & quasi tacitè de illâ matrimonium ineuntes sibi invicem dent fidem; hinc non immeritò quæritur; *Si quis gravidam vel corruptam fœminam, quam Virginem esse credebat, in uxorem duxerit, an matrimonium propterea sit solvendum?* Negativa Canonistarum est. Ita enim Pontifex *in can. un. XXIX. q. 1.* Qui ducit in uxorem meretricem vel corruptam, quam putat esse castam vel virginem, non potest eam dimittere & aliam ducere. Moventur autem forsitan regulâ communi, quòd nempe contractus, qui consensu contrahuntur, qualem etiam matrimonium esse contendunt, ubi semel perfecti sunt, subsistant, nec amplius rescindi queant, ita ut ab initio sint voluntatis, ex postfacto verò fiant necessitatis. *l. 3. C. de Resc. Vend. Auth. Sacramenta puberum.*

C. si

C. si adv. vendit. Et quod Sponsus sibi imputare debeat, quòd non diligentius in vitam moresque mulieris, cum quâ individuum vitæ consuetudinem initurus erat, inquisiverit; Cuilibet namque contrahentium incumbit, ut in conditionem ejus, cum quò contrahere vult, inquirat, *l. 19. ff. de R. I.* adeò, ut si illud non fecerit, & damnum ex contractu senserit, illud ne quidem sensisse videatur, eò quòd suâ culpâ sentiat. *l. 202. ff. de R. I.* Favere quoque huic sententiæ videtur *Ulpianus in l. 13. §. 10. ff. ad L. Iul. de Adult.* ubi dicit: Serò maritum accusare mores mulieris, quos, uxorem eam ducendo, probavit. Siquidem & aliàs quod semel approbatum, improbari rursus nequit. *can. in istis 3. dist. 4.* Pertinet huc etiam *l. 11. §. 1. ff. de Contr. emt.* ubi error circa Virginitatem emtionem non vitiat; Quantò magis igitur subsistet matrimonium, utpote quod magis firmum est emtione, & à nemine præterquam ab ipso DEO dissolvendum. *Gen. II. & Matth. XIX.* Porrò error circa Virginitatem versari solummodò in qualitate videtur, cum nuptiæ etiam cum meretrice consistere queant: *cap. 25. X. de Iurejur.* Error autem qualitatis matrimonium non impedit, cum qualitas sit tantum Accidens quod salvo matrimonio adesse vel abesse potest. *can. un. XXIX. q. 1.* Hæc sunt potiora Canonistarum, quibus nituntur, fundamenta. Sed rem exactius si consideremus, contrariam sententiam verriorem longè esse deprehendemus. Probatur illa primò lege Mosaica *Deut. 22, 21.* ubi corrupta in domo Patris sui, quæque maritum decepit, lapidibus obrui jubetur. Deinde sapientissimus Regum *Prov. VIII, 22.* stultum ac insipientem eum vocat qui retinet mulierem adulteram. Accedit Regula Juris Communis, pacta & Contractus dolo ini-

tos nullius esse momenti. *l. 7. pr. ff. de dolo.* Et quamvis dicatur, dolum hic non dare causam matrimonio, sed esse solum incidentem, nihil tamen obtinebitur; Etsi enim dolus incidens in matrimonium id non faciat ipso jure nullum, operatur tamen ejus resolutionem *arg. l. 11. §. 5. ff. de Act. emt.* Facit etiam, quod metuendum sit, si talia matrimonia firma maneant, ne propter coactionem innocentis difficilem sortiantur exitum; Semper enim suspicio inhaerebit marito, semel malam, talem etiam semper futuram. Atque eò respexit Leo Imperator quando ait: *Sponsam quandam furtivis amplexibus ab alio esse gravidatam, cum illa interim sponsalem pra se ferret castimoniam, sponsaliorum tempore compertum est. Decernimus igitur, ut propter hoc, quò nihil magis matrimonio adversatur, quos sponsaliorum opinio, non veritas copulavit, disjungantur. Quomodo enim vera Sponsalia sunt, in quibus nihil verum neque genuinum conspicitur, ubi meretricium se offert scelus, ubi cause sunt disfidiorum & odii, ubi animorum alienatio? quae mala accervatim omnia cum peregrino atque alieno semine suscipiuntur, quomodo ibi matrimonialis concordia, quomodo purus sponsalisq; est Amor?* Haecenus Imperator in *Novell. 93.* Si exemplis res dijudicanda foret, ex Sacris adducere possemus exemplum Josephi, Mariae, Salvatoris Genitricis, Sponsi, ille enim antequam ab Angelo didicisset, Sponsam suam ex peculiari & supernaturali Spiritus S. operatione, absque Viri congressu, concepisse, deferendam eam putavit, nec tamen propterea reprehenditur, quin potius Justus vocatur, *Matth. I, 19.* Sic in profanis scimus, Richardum Angliæ Regem Adela non multò post nuptias propter suspicionem imminutæ virginitatis repudiasse. *Polydor. Virgil.*

Virgil. histor. lib. 14. citante eum *Wissebach. in Disput. ff. part. 1. disp. XLIV. th. 3.* Ad primum dissentientium argumentum, quò contractus consensuales semel perfectè initos rescindi posse negant, respondemus, negando matrimonium contractum esse, quia neque nomen, neque actio, neque præstationes contractus hîc subsunt. *Bachov. ad Wesenb. tit. de Rit. Nupt. n. 3.* & quamvis in *Novell. 22. cap. 10.* & alibi contractus dicatur, id tamen non fit in propriò hujus vocabuli significatu, sed vel in sensu latissimò, quatenus vocabulum contractus quemlibet actum denotat unde obligatio oritur. *arg. l. 20. ff. de Iudic.* vel per Metonymiam, quatenus conjunctio Viri & mulieris, per contractum perficitur, exponente ita *Hahnio ad Wesenb. tit. de Rit. Nupt. n. 3.* Videri quoque potest *Ludwell. Exerc. Justin. 2. th. 2. lit. D.* Et licet concederemus matrimonium Contractum esse, exinde tamen sententiam suam minimè probatam darent. Illi enim Contractus demum firmiter ligant, à quibus dolum abfuit, dolum autem huic negotio admixtum esse, nemo sanæ mentis inficias ibit. Urgent deinde pro stabilien-
dâ suâ sententiâ, Sponsum debuisse diligentem esse in inquirendò in mores & vitam ejus, quam sibi jungere voluit. Sed neque hòc, id quod intendunt, obtinebunt. Præterquam enim quòd Sponsus sine gravi injuriâ de Sponsæ suæ virginitate sciscitari nequit, virginitas corrupta est vitium adeò latens, ut non tam facilè in notitiam inquirentis venire possit. Nec obstat *l. 13. §. ult. ff. ad L. Jul. de Adult.* loquitur enim ibi Jurisconsultus non de tali, cui ignorantia e-
jusmodi fœmina juncta est, sed de tali, qui sciens corruptam in consortium sui assumsit. Nostram quoque sententiam non destruit *l. 11. §. 1. ff. de Contrah. emt.* Alia enim ratio

tio est emtionis, alia Conjugii. In emtione enim quod em-
 tori propter amissam virginitatem abest, aliter refarciri pot-
 est, habet enim adversus venditorem actionem in id quod
 interest. In causâ verò matrimonii cum virginitas sit irre-
 parabilis, nec ullo modo parti læsæ satisfieri possit, matri-
 monium non immeritò irritatur, siquidem & deflorata
 non potest non sciens Sponsum vel novum maritum deci-
 pere, quò casu & aliàs in emtione si Venditor sciens emto-
 rem decepit vel errare passus est, ad rescissionem contra-
 ctûs agi potest. *l. 11. §. 5. ff. de Act. emt. Frantz. Comment. ad
 ff. tit. de Contrah. emt. n. 64. & 65.* Objiciunt denique, quòd
 Error circa Virginitatem sit tantummodo error qualitatis.
 Sed hoc est quod negamus. Si enim rem accuratiùs perpen-
 dimus, errorem istum circa Substantialia Matrimonii ver-
 sari deprehendimus. Castitas siquidem est de Substantiâ
 matrimonii, & error circa ipsam attingit ipsum corpus,
 quia læsa Virginitas corporis vitium censetur, quod perti-
 net ad materiam conjugii, materia autem ad rei Substan-
 tiam spectat. Elegantia sunt verba hanc in rem Balthasaris
 Menzeri, ita autem ille: *Vocatur sanè error ille (scilicet cir-
 ca Virginitatem) qualitatis, qui tamen si exquisitè loquen-
 dum est, ad ipsam formam conjugii refertur, unde non debet
 negari ad essentiam matrimonii pertinere, pugnat enim cum
 illo principio: Erunt duo in carnem unam. Forma Conjugii
 est Obligatio sive vinculum ortum ex mutuâ consensione in ar-
 ctissimam & indissolubilem conjunctionem in carnem unam.
 Quare ut adulterium è diametro pugnat cum matrimonio, ita
 certum est, scortationem etiam cum eo pugnare, non in ali-
 quo accidente, sed respectu ipsius formæ. Hactenus Menzer.
 de Conjug. pag. 90. Quanquam igitur nostra sententia ita fir-
 mata*

mata sit, limitationes tamen nonnullas recipit, quæ, ne nimis prolixi simus, videri possunt apud *Hahn. ad Wesenb. sit. de Rit. Nupt. n. 8. verb. Quamquam Theologi.*

Th. IV.

Satis ampla in nobilissimâ Constitutione *Habitâ C. ne fil. pro patr.* Studiosis concessa esse Privilegia, nemo forsitan negaverit, de eô autem haud paucos invenias dubitantes, ~~an dicta Privilegia ad omnes omnino Studiosos pertineant.~~ Tribuuntur enim à nonnullis solùm his, qui studiorum causâ ad extera loca proficiscuntur, & amore scientiæ exules fiunt, illis autem, qui in Academiâ Patriâ literis incumbunt, denegantur, Est inter hos *Sichardus in Comment. Cod. ad d. Auth. Habitâ. C. ne fil. pro patr.* ubi tradit, privilegium d. Auth. non omnibus Studiosis dari, sed tantùm his, qui in alieno loco student. Tria autem potissimum, ad sententiam suam corroborandam, profert argumenta, Primò insistit verbis Auth. nostræ: *Qui causâ studiorum peregrinantur*; Concludit ex illis, omnibus studiorum causâ ad extera loca se conferentibus privilegia competere, excludendos autem esse illos, qui in Patriâ Academia degunt. Secundò urget, quòd Studiosi dicuntur illi, qui *Amore scientiæ exules facti sunt*, quod de iis qui in patriâ manent, dici posse negat. Tertio hanc profert rationem, quòd *Privilegia strictè sint interpretanda c. beneficium de R. I. in 6.* *Sichardi* vestigiis insistens *Pacius ad Auth. habitâ cap. 4.* alia tria insuper adjicit argumenta. Primum, quòd *eadem Privilegia iisdem personis concessa sint.* Jam verò Privilegium illud, quod ab alterius Provinciæ cujuscunque delictum sive debitum, pedagium exercens vel Repressaliis utens, adversus Studiosum allegantem Privilegium incurrat pœnam quadrupli & in-

& infamiae, non habere effectum in iis, qui in Patria manent, ergo etiam illos reliquis privilegiis non gaudere concludit. Secundò putat *Pacius*, illos qui domi literis operam navant, privilegiis non indigere. Tertiò Concludit ab exemplo Clericorum. Constat enim ex Jure Canonum, Clericis peregrinantibus multa esse permessa, quæ ipsis aliàs sunt interdicta. Sic v. g. Clericis in itinere constitutis licet tabernas sive cauponas ingredi *can. 4. dist. 44.* quod tamen domi commorantibus non licet. Atque exinde colligit Studiosis quoque peregrinantibus solis, Academica Privilegia concessa esse. His verò non obstantibus contraria sententiâ, quâ etiam domi studiis addictis Privilegia tribuuntur, longè æquior & verior videtur. Cùm enim *in gratiam eorum, quorum scientiâ totus illuminatur mundus hac Constitutio sit promulgata*, non possunt non Privilegia in illâ contenta, his quoque qui domi student, applicari; Siquidem & eorum scientiâ illuminari mundum, vitamque subditorum ad obediendum DEO & Imperatori informari, in aprico est. Deinde vera Interpretatio ab observantiâ desumitur, ab eò enim, quod observari communiter consuevit, non est recedendum *l. 37. l. 38. ff. de LL.* Jam verò consuetudine Academiarum nulla inter originarios & peregrinos intercedit differentia, sed pari passu utrique ambulant, *vid. Gilken. Comment. ad Cod. ad hanc Auth. n. 21. p. m. 87.* Porrò in genere mentio fit Scholarium, quò nomine & originarii & extranei continentur: Cui verò tribuitur nomen, illi quoque effectus nominis non est denegandus. *l. 4. C. de Feriis.* Accedit tandem, quod originarii æque ac adventitii in Matriculam ac Album Academiae recipiantur. Sicut autem Miles armatae militiæ in numerum relatus privilegiis militaribus uti potest,

est *l. 42. ff. de Testam. mil.* ita quoque togatæ militiæ miles, Studiosus nempe, qui apud Rectorem nomen suum est professus, quin Privilegiis Academicis frui possit, prohibendus non est. Occurrendum nunc est argumentis dissentientium, & quidem ad primum *Sichardi* fundamentum respondemus, ipsum niti falsâ hypothesi dum propter peregrinationem Privilegia Studiosis concessa esse putat. *Illuminatio enim Mundi*, uti supra ostensum fuit, est causa Finalis, propter quam Privilegia sunt tributa, non verò peregrinatio. Quid quod evenire possit, ut ipsi etiam originarii vel comparandorum librorum, vel aliarum necessariarum rerum causâ, iter suscipere cogantur. Eò, quod dicit *Sichardus* originarios non esse Exules, nihil obtinebit. Etsi enim non exulentur, Privilegia tamen illis non possunt denegari, quia Finalis Privilegiorum causa, ut jam probavimus, apud illos quoque residet. Ut non dicamus, eos etiam aliquò modò exulum loco haberi posse, dum ita circa studia sunt occupati, ut res suas familiaresque curare ipsis non sit integrum. Quod tertio dicitur Privilegia strictè esse interpretanda, id tum demum verum est, si extensione Privilegii alii præjudicetur, vel communi Juri derogetur, quod de nostro casu non potest affirmari, utpote in quo locum potius habet *l. 3. ff. de Constit. Princip. vid. Carpz. Decis. Sax. part. 2. decis. 134. n. 22.* Nec *Pacii* rationes obicem nobis ponunt. Prima enim ex illis, quæ ad primum & secundum *Sichardi* argumentum respondimus, corrui. Secundam quod concernit, negamus domesticos Privilegii Auth. nostræ non indigere, siquidem contingere potest, quemadmodum jam diximus, ut & ipsi Studiorum causa peregrinari cogantur, & à vilissimis sæpè hominibus injuriâ afficiantur.

C

Quod

Quod denique ad tertium à simili desumptum argumentum, constat omne simile claudicare. In jure etiam nostro quicquid ad similitudinem alicujus introductum est, in omnibus quidem ei præsumitur simile, nisi in quibus mutatum, vel diversum à jure fuerit statutum; Jam verò in *Auth. nostrâ* omnibus Scholaribus concessa sunt Privilegia, Scholarium autem nomine omnes omninò Studiosos sive originarios sive extraneos contineri, supra ostendimus, ut adeò male à Clericis ad Studiosos inferatur, cum circa hos aliud in Jure sit constitutum. *Gilken. Comment. Cod. ad Auth. Habitâ C. ne fil. pro patr. n. 20. & seq. p. m. 86. 87. Brunnem. ad eand. in princ.*

Th. V.

Agitata fuit ante annos circiter quadringentos Bononiæ inter Azonem & Lotharium, magni tunc nominis Jctos, coram Imperatore Henrico, Friderici Secundi filio, hæc quæstio: *An Summa solum in Republicâ Potestati Merum Imperium jure propriò competat, an verò etiam Magistratibus, quibus id concessum?* Uterque ex sponsione equum apud Sequestrem deposuerat. Azo in eâ erat opinione; *merum Imperium non solum Summa Potestati, sed etiam Magistratibus inferioribus Jure proprio competere.* Lotharius verò contrarium tenebat, *Magistratibus tantum Exercitium huius Juris ex concessione Summa Potestatis, jure ipso apud eum remanente,* tribuens. Imperator utriusque partis rationibus auditis, tandem pro Lothario pronuncia- vit, unde Azo victus, equum perdidit. Quanquam autem decretum Principis pro Lege sit habendum *l. 1. §. 1. ff. de Const. Princ.* Azonis tamen sententia ab insequentibus Doctoribus communiter fuit approbata, sub hóc prætextu, quasi

quasi Imperator non ex rei veritate, sed favore suæ causæ ita pronunciasset. Inde ortum proverbium: Lotharius iniquum dixit & equum lucratus est; Azo æquum dixit & equum perdidit. vid. *Zaf. ad l. 3. ff. de Jurisd. n. 36.* paulò aliter hæc referentem. Causam verò Lotharii defendendam rursus suscepit Alciatus, & post eum recentiores quamplurimi: Nobis quoque si spectemus rationem Juris Civilis Romanorum, illa probabilior videtur. Principes enim Romanos non tam ipsum Jus Imperii merii, quàm Exercitium ejus Juris Magistratibus inferioribus concessisse, colligitur ex eò, quod in *l. 1. pr. ff. de Off. ejus cui mand. est Jurisd.* dicitur, *Magistratus Imperii meri exercitationem habere delegatam, non vero jure proprio*, uti habent Jurisdictionem *l. 5. ff. de Jurisd.* Quam ob causam errare etiam Magistratus illos dicit ICTus, qui Imperium Merum mandant, quod tamen ipsis licuisset, si penes ipsos jure proprio fuisset *arg. l. 5. ff. de Jurisd.* Utuntur quidam & hæc ratione, quòd Imperium Merum sit Ius vitæ ac necis, hoc autem non nisi ejus proprium esse, qui Iura habet Majestatica, seu penes quem summa in Republicâ residet potestas: Cujus tamen Iuris exercitium, quia illi, qui Principatum obtinent, non semper exercitio meri Imperii possunt vacare, Magistratibus inferioribus mandari dicunt, jure interim ipso apud mandantes remanente. Verùm hæc adeò accuratè dici non videntur, imò falsum planè est, Imperium Merum esse Ius vitæ ac necis. Non enim confundendum est Imperium Merum cum Summo. Ius nempe vitæ ac necis, damnatos scilicet morti eximere, pœnam condonare, proprium est Summæ Potestatis, atque adeo pars Iuris Regii ac Majestatici, quod Summum Imperium, non merum appellatur, nec cum alio

communicatur. Magistratus verò qui Merum Imperium habent, nihil aliud habent, præter potestatem animadvertendi in facinorosos, non verò eosdem absolvendi, seu pœnam iis remittendi. Sic Leges condere, Magistratus creare, Bellum inferre, Pacem inire &c. effectus sunt Imperii non Meri sed Summi. Lotharii verò sententiam oppugnant Adversarii ex eò, quòd morte Principis non finiatur Imperium Merum in personâ ejus cui id concessum; Resp. Princeps Magistratibus Imperium Merum defert & exercendum mandat, non ut hic Princeps, sed simpliciter ut Princeps, & tanquam Lex quædam, quæ nunquam moritur. Afferunt deinde *l. 6. §. 8. ff. de Off. Presid.* ubi qui Provincias regunt, Jus gladii habere dicuntur. Resp. Concedimus illos gladii Jus habere, negamus tamen illud Jure suo seu proprio ipsis competere, sed Principis beneficio, à quò, tanquam fonte in cæteros Magistratus, ut rivulos, derivatur Imperium Merum, nihilominus fonte scaturiente, eritque sic Jus Gladii, proprium in Personâ Principis, mutuatitium verò in aliis Magistratibus. Objiciunt quoque, quòd Imperium Merum dicatur à Lege datum, quod autem Lege datur, id alieno beneficio non habetur. Respondet: *Lyilama lib. 5. membr. Eclog. 8. p. m. 520.* Lege habere, & à Principe seu populo habere non differre; Princeps enim seu Summâ in Republicâ Potestas est Autor Legis. Nec adversatur *l. 70. ff. de Reg. Jur.* Accipienda enim est de Magistratibus inferioribus, quod etiam innuunt verba: *sibi datam*; hi omninò Imperium Merum ad alium transferre non possunt, juxta *l. 1. ff. de Off. ejus cui mand. est Jurisd.* Nam quæ de Magistratibus dicuntur, sobriè sunt intelligenda, nimirum secundum Magistratus naturam, quæ cum

cum ejusmodi sit, ut Principis Populive ministri sint, merunt Imperium quod habent, ministerio hujusmodi acceptum ferunt. Atque hæc ita sunt si spectemus rationem Juris Romani: Hodie verò alia Rerumpublicarum est facies, sæpissimèque Princeps alicui Mèrum Imperium concedit, *Jure Patrimonii*, ita ut id etiam in bonis ejusdem reputetur, aliisque illud vendere, & ad heredes transmittere possit. *vid. Vinn. tr. de Jurisd. cap. 4. n. 4. s. Dn. Struv. Exerc. IV. th. 75. Lyclam. Membr. lib. 5. Eclog. 8. Verstegen. dissert. de mixt. & mer. Imp. th. 28. pag. 99. & seqq. Sutholt. de Jurisd. aph. 400. & seqq.*

Th. VI.

Cum Studiosis *Auth. Habita. C. ne fil. pro patr. privilegium fori sit indultum*, hinc inter Dd. controvertitur; *an etiam dictum Privilegium ad Reconventionem pertineat*; nimirum: *An Civis coram Magistratu suo oppidano à Studio conventus, eundem coram eodem Magistratu reconvenire possit, nec ne?* Sunt qui Studiosum coram Magistratu oppidano reconveniri posse credunt. Primò: quia certissimi juris est, quòd Actor teneatur respondere Reo reconveniendi ipsum coram eodem Judice, coram quò ipsum ante convenerat, nec juvetur allegando incompetentiam Judicis. *l. 22. ff. de Judic. l. 14. cum Auth. sequ. C. de Sentent. & Interloc. Carpzov. p. 1. Const. 7. def. 1. n. 7. Wissenb. ad l. 14. C. d. t. Donell. 17. Com. 18.* Secundò, quia idem dicitur de Legatis *in l. 2. §. 5. ff. de Judic.* qui licet habeant privilegium revocandi domum si conveniantur, si tamen agant, tenentur coram eodem Judice respondere, si reconveniantur. A Legatis autem ad Studiosos benè inferri posse tradit *Hunn. ad Auth. Habitâ. cap. 2. quest. 3. n. 2. per l. 28. §. 1. ff. de Judic.* His autem non obstantibus contraria potius arripienda videtur

detur Sententia. Verba enim Auth. nostræ, quibus Studiosi omnium aliorum Judicum Jurisdictioni eximuntur, ita generaliter sunt concepta, ut non possint non præter conventionem ad reconventionem etiam trahi. Accedit quòd & hodiernâ consuetudine ita observetur teste *Fomann. ad d. Auth. quest. XIX.* Observantia autem pro Lege habetur, eique inhærendum est, *Jul. Clar. lib. 5. sent. §. ult. q. 44. n. 9. vid. Hillig. in Don. Enucl. lib. 17. cap. 18. lit. M.* Nec obstant rationes pro affirmativâ adductæ. Primam enim quod atinet, concedimus reo reconventionem, nisi natura, qualitas & conditio causæ, Judicis & Jurisdictionis reconventionem impediunt. Admittenda enim est Reconventio salvis constitutionibus & Legibus, quibus certis quibusdam de causis specialiter Judices sunt constituti, uti factum est *in dict. Auth.* ubi certi Judices in causis Studiosorum sunt electi, & ab Imperatore constituti. Sed objicitur, quòd Studiosus agendo contra Civem in judicem Rei consenserit, & hanc ob causam eundem in Reconventionem recusare nequeat. Resp. Ut consensus ille aliquid efficiat, requiritur ex parte Judicis facultas cognoscendi. Cùm igitur alius Judex præter Rectorem prohibeatur de causis Studiosorum cognoscere, ita ut etiam Studiosi ne volentes quidem se possint alii subicere, *arg. c. 11. x. de foro compet.* Ergo etiam Reconventio in nostro casu locum non invenit. *Carpz. p. 1. Const. 7. def. 4. n. 4.* Secunda Ratio petita ab exemplo Legatorum, obicem quoque nobis non ponit, primò quia in Privilegiis ac Juribus singularibus ab unâ Persona ad alteram non valet consequentia. Deinde alia ratio est Legatorum, alia verò Studiosorum. Legati enim tempore Legationis neque propriorum neque alienorum negotiorum

rum causa actionem instituere possunt, exceptâ solâ injuriarum. *l. 15. l. 8. §. 2. l. 12. ff. de Legation.* Si igitur Legati tempore Legationis agant, non gaudent privilegiis, quia expressæ prohibitioni Legis contrariantur, & ita Legis auxilio merito suo indigni judicantur. *cap. 23. X. de elect. & elect. potestat.* Studiosos autem ab actione contra Cives instituendâ arceri, nullibi deprehendimus. *vid. Hillig. in Don. Enucl. lib. 17. Cap. 18. lit. M.*

EX JURE PUBLICO.

Th. VII.

Coram Judicio Austregarum Civiles Principum & Statuum Imperii causas in primâ instantiâ tractari, notius est quam ut dici debeat, De eo solùm ambigitur, *an & eorum Causæ Criminales ibi recte ventilentur.* Causarum verò Criminalium nomine intelliguntur illæ, quæ ex Judicio publico proveniunt, & continent vel pœnam corporis afflictivam, vel aliam leviolem, puta infamiæ, confiscationis bonorum, privationis dignitatis &c. In his itaque causis Jurisdictio Criminalis Austregarum Judicibus non competit. Primò, quia hîc cessat ratio Austregarum inductiva, cum unâ instantiâ terminandæ sint causæ criminales, nec appellatio in iis admittatur. *R. J. Zu Augspurg de Anno 1530. S. Item als jetzt etliche Zeithen ibi: So sehten und ordnen wir/ daß hinfüter in peinlichen Sachen keine Appellation angenommen &c.* Deinde constat, specialem requiri concessionem, ut quis de causis Criminalibus cognoscendi facultatem habeat, *l. 1. ff. de Off. ejus cui mand. est Jurisd. l. 72. ff. de Reg. Jur.* Sed nullibi legitur in Ordinatione Camerali Austrega-

Austregarum Judicibus merum esse concessum Imperium. Accedit, quod Jueices Austregarum videantur esse Compromissarii. *Frantzke. Comm. ff. tit. de Recept. arbitr. n. 6. in Criminalibus verò compromittere non licet. l. 32. §. 6. ff. de Recept. arb. Wissenbach. disp. ff. 15. part. 1. th. 16.* Et absolum esset in causis tam arduis, ut sunt Criminales, Actori & Reo facultatem Judicis eligendi tribuere. *Reinking. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 2. class. 2. cap. 16. num. 24.* Habemus autem, præter alios, obloquentem *Limeum lib. 9. Jur. Publ. cap. 5. n. 63. & seqq.* Rationes quibus movetur, præcipuæ hæ sunt: Prima: Quod Causæ Criminales nusquam reperiantur exemptæ Judicio Austregarum. Secunda: Quod causæ Criminales sub verbis: **Spruch und Foderung** (quibus correspondent verba litis & negotii) *part. 2. Ordin. Cameral. tit. 2.* comprehendantur. Nihil enim verius esse putat, quàm quod litis & negotii nomine, cum id sit generale, etiam causæ Criminales veniant, *per l. 20. ff. de Accusat. l. 5. pr. C. de Jurisd.* Tertia: *Quod in dict. tit. 2. part. 2. Ordin. Camer. §. Darauff.* Appellatio ad Cameram ab Austregarum Judicio concedatur, cum restrictione tamen ad illas Causas, quæ sunt appellabiles. Ex quò certissimè concludit, Austregas etiam de illis judicare causis, quæ non sunt appellabiles, inter illas autem vel præcipuas esse Criminales. Hæc sunt potiora *Limnai*, quibus nititur, argumenta, quorum tamen nullum tam firmum est, ut nos à priori sententiâ valeat dimovere. Primum enim quod attinet, licet causæ Criminales non expressè reperiantur exceptæ, quia tamen cum Austregis consistere nequeunt, & rationi earum inductivæ, ut supra demonstravimus, repugnant, hinc tacitè eas excipi credendum est. Secundum quoque firmo

firmitate non nititur talo. Nomine enim Litis & Negotii tum demum veniunt quoque causæ Criminales, si subjecta materia hoc suadet, quemadmodum dict. leges *l. 20. ff. de Accus. l. 5. C. de Jurisdic. de Criminalibus negotiis expressè conceptæ sunt: aliàs verò vocabulum Litis & negotii de Civilibus solùm causis accipiendum est. l. 36. ff. de V.S. vid. Finckelthuf. Controv. Feud. illustr. disp. IV. th. 10. p. m. 117. Ad Tertium denique respondemus: Textum in Ordin. Cameral. part. 2. tit. 28. non solùm causarum Criminalium appellationem prohibere, sed etiam illarum, quæ vel ratione summæ, dict. tit. 28. §. Und sonderlich. vel ratione sententiæ (eò quòd sit interlocutoria) appellabiles non sunt. d. tit. 28. §. Item als täglich. Ex hoc itaque titulò 28. titulus 2. à Limnæo allegatus est explicandus, & de causis in tit. 28. nominatis intelligendus. Hoc pro Limnæi, sententiâ quoque notari potest, aliquando causam Spolii & Turbationis für die Aufträge remissam fuisse, prout constat ex selectis Camera Imp. sententiis Casp. Barth. p. 3. fol. 978. D. ac fol. 1005. F. Quod præjudicium, utpote in causâ Criminali non capitali, so keine Leibes straffe auff sich trägt / sententiam negativam infringere non potest. Cùm enim hoc in casu etiam Camera cognoscere possit, Ord. Cam. p. 2. tit. 28. §. Item nachdem auch. Quidni quoque Austregæ; Prohibitionis certè rationem nullam videmus. Adeò autem Causæ Criminales coram Austregis tractari nequeunt, ut ne quidem partium consensus contrarium operari queat. Causæ enim Criminales sunt Juris publici *l. 11. in fin. C. de Accusat. l. 4. ff. de publ. Jud. cui per prorogationem aliamve privatorum conventionem derogari nequit. l. 38. ff. de Pact.* A quò igitur judicandus est Status Imperii in causis*

D
Crimina-

Criminalibus aut in delictis commissis? Optima videtur sententia illorum, qui ita distinguunt: Aut Imperii Status delictum commisit in proprio Territorio, aut in alieno. Priori casu Imperatorem judicem habet, aut illum, cui Imperator specialiter hanc causam commiserit. Omnes enim in Imperio existentes, Imperatoriæ Jurisdictioni subjecti sunt *l. 3. C. de quadr. prescript.* Posteriori casu, scilicet si Status Imperii in alieno Territorio deliquerit, ipse Territorii Dominus Judex erit competens, quoniam delictum dat Jurisdictionem in loco delicti, *Auth. Qua in Provincia. C. ubi de Crimin. ac æquitati convenit, Judicem habere satisfactionem ac vindictam propter violatam Jurisdictionem.* Nec obstat quòd delinquens sit Princeps, pari autem in parem non competit Jurisdictio, multò minus inferiori, Comiti fortasse vel Baroni, in superiorem, Principem nempe. Resp. Superior extra Territorium pro privato habetur. *l. 3. ff. de Off. Pres. l. 1. §. 4. l. fin. ff. de Off. Pres. Urb. cap. fin. X. de for-compet. Gail. de Pignor. Obs. 14. num. 3. in fin. & de Arrest. cap. 7. num. 12.* Et hæc ita sese habent nisi delictum tale commissum sit, cujus pœna ordinaria est mortis inflictiva, quò casu Domini Territorii, utpote Magistratus ordinarii, manus ligatas esse censemus. Absolum siquidem videtur, tantum potestatis per Investituram Cesaream Domino Territoriali concessam esse, ut Illustre Imperii membrum, à tam sancto corpore Politico propriâ autoritate abscindere possit, cujus damnum etiam reliqua Imperii membra sentirent. Correspondet etiam Jus Romanum; Cognitor enim & Delegatus Imperatoris Illustrem personam in Criminalibus insciò & inconsultò Principe condemnare nequit. *l. fin. §. 1. C. ubi Senat. vel Clarissimi. Imperii*

rii autem Status ab Imperatore & Imperio Jurisdictionem suam habent, ideò ad Imperatorem tota causa devolvenda erit; Qui tamen nec solus quidem mortis vel aliam corporis afflictivam pœnam, aut quæ honorem lædit infligere posse videtur, sed tutius erit in Comitibus hâc de re deliberare, idque authoritate **des Fürsten Rechts**/ de quò vid *Besold. Thes. Pract. tit. F. Limn. lib. 2. Jur. Publ. cap. 9. Burgoldens. ad Instrum. Pac. p. 2. disc. 20. n. 5. p. m. 189.* Secundò fallit sententia nostra, Si Status Imperii contra ipsum Territorii Dominum deliquerit, quò casu etiam Imperator Judex erit, *d. l. fin. §. 1. C. ubi Senat. vel Clarisf. Nemo enim simul Actor & Judex esse potest. l. 16. C. de Judic. t. t. C. ne quis in sua caus.* Tertiò denique limitatur sententia nostra, si Status Imperii publicam Imperii quietem turbet, ac pacem publicam; cum enim hoc ipso contra totum Imperium delinquat, consequens quoque est, ut Imperatorem & Imperium Judicem habeat.

EX JURE CAMERALI.

Th, VIII.

In Imperio nostro olim litigaturi, (sive quos prima Instantia, sive quos alia eò vocabat) Imperatorem ejusque Curiam, magnis sæpè sumtibus atque dispendiis sequi cogebantur, atque præterea, cum vel propter controversiarum grande chaos, vel bellicis atque aliis negotiis publicis irretitus Imperator, cunctis superesse non ipse, nec per Consiliarios quidem commodè posset, nec quod Rotvilæ jamdudum à Conrado formatum judicium, Anno nempe 1147. *Limn. lib. 9. Jur. Publ. cap. 3. num. 1.* generale aut sufficiens esset

D 2

esset

esset, tandem huic malo medicina posita, atque Judicium generale nomine Camerae institutum, à Maximiliano I. Imperatore, communi Statuum consilio, anno 1495. ultimo Octobris die, ut esset supremum Justitiæ domicilium, singulare Imperii Civium per fugium, atque adeò extremum Juris asylum; *Das oberste und letzte Gericht Rec. Imp. zu Augspurg de anno 1530. §. Dieweil nun Unser.* Atque hinc peculiare nomen, sortitum est Jus Camerale, quod utrum ad Jus publicum, an ad Jus privatum referendum sit, ambigitur *Dn. Deckerus in Specimine de Reb. Cameral. cap. 5. p. m. 37.* non dubitat Jus Camerale Juri publico annumerare, tum propter ejus Institutionem, tum propter causas, quæ per illud deciduntur. Institutionem enim quod attinet, constat ejus auctorem fuisse Maximilianum I. Imperatorem, suffultum suffragio omnium Imperii Ordinum; ex quò videtur publicam autoritate constitutum, ipsum etiam Jus publicum esse. Causæ verò circa quas occupata est Camera sunt Principum & Statuum Imperii, ac per consequens publicæ, unde ipsum etiam Jus Camerale paret publicum esse, quodcunque enim Jus de causis & rebus Statuum Imperii statuit, id publici nomen mereri videtur. Concludit ergò *Dn. Deckerus*, utilitatem hujus Juris directè publicam, per consequentiam verò solùm privatam esse, quia ubi publico bene est, res quoque privatae convalescunt. His verò non obstantibus, contrariam potius nostram facimus sententiam. Quæ vel ex definitione Juris publici probari potest. Definimus autem Jus publicum cum *Excellent. Mauritio in Specimine Jur. publ. cap. 2. n. ult. quòd sit idem cum legibus quæ directè & principaliter ad constitutionem & conservationem Reipublicæ Germanicæ spectant.* Hæc autem definitio Juri Camerali

merali applicari non potest. Siquidem ut in principio diximus, Jus Camerale non directè propter conservationem Reipublicæ Germanicæ, fuit constitutum, sed solùm per consequentiam eò spectat. Causa nempe impellens Imperatorem Maximilianum nulla omninò fuit alia, præter commodum præcipuè privatorum. Cum enim hi Iudicium Imperatoris Aulicum (Rotvvilense enim generale non erat, *Limn. lib. 9. de Iur. Publ. c. 3. n. 6.*) utpote non in uno loco subsistens, magnis sæpè sumtibus sequi cogerentur, idcirco Imperator, ut huic malo consulere, Camerale instituit Iudicium. Atque hinc patet hypothesin Dn. *Deckheri*, quâ utilitatem Iuris Cameralis per consequentiam demum privatam esse asserit, fallere adeò ut invertenda ea, potius ac statuendum sit, Jus Camerale per consequentiam spectare utilitatem publicam, directè verò singulorum, eòquidem ex fundamentò, quòd, ubi subditis, benè est publicæ quoque res benè se habeant. Nec quicquam pro *Deckhero* facit, quod causæ ibi tractentur Statuum Imperii, quæ cum sint publicæ ipsum etiam Ius publicum faciant: Concedimus enim causas Statuum ibi ventilari, negamus tamen eas ventilari tanquam causas Statuum qua talium, sed tanquam causas privatorum. Causa enim ut sit publica, requiritur controversia de rebus directò & principaliter ad Imperium spectantibus, hoc autem cum de controversiis in Camerâ occurrentibus in genere affirmari nequeat, sequitur etiam ipsum Ius publicum non esse. Nec etiam Institutio hujus Iuris publica ipsum Ius publicum facit; Omne enim Ius autoritate publicâ constituatur necesse est, caret enim aliàs vi obligandi, quis autem propterea omne Ius publicum esse dixerit?

D 3.

EX

EX JURE CANONICO.

Th. IX.

Duplicia sunt bona Clericorum, privata & publica. Privata sunt, quæ quilibet Clericorum in privatum suum suorumque usum possidet. Publica verò sive Communia, quæ ad totum Collegium sive Ecclesiam pertinent, ut sunt prædia, agri, aliique redditus totius conventus, collegii aut ærarii Ecclesiastici. De posterioribus hisce Collectas & Tributa non solvi recepta ubivis est sententia. *vid. Carpzov. Jurispr. Consistor. lib. 2. def. 308. & 309. An autem, si Patrimonialia seu hereditaria bona Clerici possideant, horum intuitu tributis & collectis se eximere possint?* adhuc controvertitur. Plurimi sanè reperiuntur, qui nec horum nomine quicquam à Clericis exigendum esse statuunt. Urgent autem primò textum *Juris Canonici, in Instit. Lancellotti lib. 2. Tit. 20. §. 14.* Deinde ajunt quòd Collectæ imponantur personis pro rebus, cum verò Laicis in Ecclesias & Ecclesiasticas personas nulla competat potestas *cap. Ecclesia 10. X. de Constitut.* hinc concludunt, Laicos non posse Clericos aggravare propter defectum Jurisdictionis; & ita inter alios statuit *Klock. de Contribut. cap. 12. n. 62. & seqq.* Sed facilis est responsio, si duplicem ponamus Clericorum respectum, pro ratione scilicet bonorum Ecclesiasticorum & Patrimonialium. Ita scilicet ut ratione Ecclesiasticorum habeantur pro Clericis, & per consequens collectæ eorum nomine ipsis non imponantur: Ratione verò Patrimonialium habeantur pro Laicis & Jurisdictioni Seculari, atque adeò oneri Collectarum solvendarum subjiciantur. Collectæ enim hoc casu ab ipsis non

non tanquam à Clericis, sed tanquam à Civibus & Privatis exiguntur. Quod verò ad allegatum §. 14. lib. 2. tit. 20. at-
 tinet, præterquam quòd authoritas Institutionum Lancel-
 lotti nulla in terris nostris est, responderi potest, Autorem
 illius niti falsâ hypothesi, dum credit, bona Clericorum,
 etiam privata, esse quidem in Territorio, non tamen de Terri-
 torio, seu, quod idem est, non subjacere Jurisdictioni Civi-
 li, ac Jurisdictioni Principis exempta esse, quamprimum in
 Clericum transferuntur: hoc enim petit principium, & à
 nobis stante nostrâ distinctione nequaquam admittitur. Af-
 ferunt præterea dissentientes *can. Si Imperator. 11. dist. 96.*
c. nullus. 2. XI. q. 1. c. Perpendimus. 23. X. de sent. ex com. c.
Clericis. 3. de. Immun. Eccles. in 6. Quòd ergo Canones hosce
 attinet, dicendum est, eos vel intelligendos esse de causis
 & bonis Ecclesiasticis, qua talibus, nec ad bona Clericorum
 privata extendendos, vel etiam ambitioni Pontificum ad-
 scribendos, & quasi cum Majestate & Rerumpublicarum
 fundamentis pugnantes non esse attendendos; prout etiam
 non tantum ab omnibus illis, quos Curia Romanæ abusus
 ad discessum à Pontificiâ Sectâ impulit, sed ab ipsis quibus-
 dam Pontificiæ Religionis Potestatibus non observantur.
 Neque, quod alii dicunt, dignitas & reverentia Clericis de-
 bita eos subjectioni seculari eximit, aut obligatione, quâ
 Reipublicæ tanquam membra, ejusdemque salutis partici-
 pes obstricti sunt, exsolvit. Contraria igitur sententia, ni-
 mirum quòd Clerici horum bonorum nomine Collectas
 solvere teneantur, longè verior est. Primò vel ex hoc fun-
 damento, quòd respectu bonorum Patrimonialium Clerici
 æquè sint Cives Reipublicæ & Magistratui Politico subjecti,
 juxta dictum *Pauli ad Rom. cap. XIII. cap. 2. X. de Censib.*
 Neque

Neque est quòd quis dicat, Paulum Apostolum *in dict. cap. 13.* loquitantum de Laicis; In capite enim ejusdem Epistolæ primo, expressè ait, se scribere ad omnes Sanctos, & per consequens etiam ad Clericos, quis enim eos sanctorum nomine comprehendi negaret. Secundò: Aliorum Civium Juribus ac beneficiis fruuntur Clerici ratione bonorum Patrimonialium, quidni ergo oneribus etiam Civium intuitu eorum graventur? Absurdum enim esset in favorabilibus pro membro Reipublicæ se venditare, in iis autem, quæ ad conservationem Reipublicæ contribui debent, extraneum se profiteri. Juri enim consentaneum est, ut is, qui lucrum sentit, damnum quoque & onera ferat. *l. 10. ff. de R. J. l. ult. §. 3. C. de Furt.* Tertiò constat rem quamlibet transire cum suâ causâ & onere, *l. 67. ff. de Contrah. emt. l. 1. C. ubi in rem act.* Eximere ergò se nequeunt Clerici solutioni collectarum bona collectis gravata acquirentes, hoc ipsò enim se volentes oneri subjecerunt *l. pen. C. de Pact. vid. Reinking. de Reg. Sec. & Eccles. lib. 3. class. cap. 10. n. 14. Dn. Ziegler. Jus Canon. lib. 2. tit. 20. §. 14. verb. intra illorum Territorium. p. m. 548. & sequ. Dn. Struv. ad l. 5. C. de S. S. Eccles.*

EX JURE FEUDALI.

Th. X.

Feudum ratione rerum, quæ in Feudum dantur, dividi solet in Ecclesiasticum & Seculare. De posteriori jam non solliciti, prius solummodo aliquâ ex parte attingemus. Est autem Feudum Ecclesiasticum, *quod in re Ecclesiasticâ legitime constituitur ab illis, qui illis rebus presunt. cap. 7. X. de Con;*



Constitut. c. 6. verb. de Seculari Feudo X. de for. compet. Dicitur Germanicè Feudum hoc **Krumstabs Lehen / Krumbstabisch Lehen** / ab Episcoporum & Prælatorum, à quibus infeudatio Rerum Ecclesiasticarum dependet, curvo baculo. *Wehner. Obs. Pract. voce Krummer Stab.* Vocabatur ille baculus veteribus Cambuca vel Camboca, uti tradit *Vossius de vit. serm. lib. 2. cap. 4. Cambuca*, inquit, *est apud Scriptorem vitæ S. Winoci Abbatis cap. XIII. cum precibus, reliquiis & cambucâ sancti longius processerat.* Et ante eum sic *Walfridus Strabo, in vita S. Galli lib. 1. cap. XXVI. Baculum ipsius (Columbani Abbatis) quem vulgo Cambocam vocant, per manum Diaconi transmiserunt.* Atque hinc quid voce hæc significetur, cognoscimus; ut & versu vulgato:

Pastor Cambucam, Sambucam fert Phaleratus.

Cæterùm de hoc Feudò Ecclesiastico quæritur, *An ad fœminas transeat?* Opinantur quidem multi, Feudum Ecclesiasticum improprium, & suâ naturâ in fœminas transitorium esse, secundùm illud tritum: **Der Krumme Stab schleust niemand auß.** Verùm hoc assertum nullò textu, nullâ quoque firmâ ratione probari potest, ita ut contraria potius arripienda sit sententia. Primò enim textus illi, quibus fœminæ à successione in Feudalibus excluduntur, quales sunt *1. F. 1. §. hoc autem. 3. 1. F. 8. pr. & §. filia 2. 2. F. 11. & similes*, sunt generales, & ad Feuda tam Secularia quàm Ecclesiastica pertinent. Secundò quoque ratio, ob quàm fœminæ à Successione Feudi removentur, nempe quòd servire non valeant, *2. F. 36.* æquè locum invenit in Feudis Ecclesiasticis, ac in Secularibus. Tertiò duo tantùm in Iure Feudali reperiuntur casus, quibus fœminæ ad successionem Feudi admittuntur, 1.) si feudum est fœmineum, primitus

E

ei

34

ei datum 2. F. 11. vers. nisi ejus conditionis sit feudum 2. F. 30. ibi: quia foemineum est Feudum 2.) Si eò pactò datum sit, ut in eo quoque foeminae succedant, 2. F. 11. 2. F. 30. Non firmatur opinio contraria i.) eò, quòd Ecclesiae non opus habeant armis, imò lacrymae, praeces & jejunia sint arma Ecclesiae, can. 3. XXIII. q. 8. quae magis congruant foeminis quàm maculis. Neque 2.) refragatur sententiae nostrae aequitas, rigoris Iuris Feudalis opposita. Nec obstat 3.) quòd Foeminae in Feudis Fuldensibus & Hirsfeldensibus admittantur. Resp. enim ad primum: Hoc quidem concedi potest, quòd Ecclesiae facile non inferant bella, quia tamen ab aliis bello premi possunt, hinc virorum auxilio opus habent, quo adversus injuriam atque vim hostium defendantur. Praeterea Sacerdotum quidem arma sunt, Praeces & Iejunia d. can. 3. sed non Ecclesiae totius, quatenus Vasalla est; quinimò possunt simul & semel stare, ut Ecclesia oret, & se armis impetita defendat. Secundò, nec negotium nobis facessit aequitas opposita, haec namque aequitas nullibi in Iure Feudali apparet. Acquiescimus igitur in duobus tantum casibus, quibus Foeminae secundum Ius Feudale succedunt per rationem nostram tertiam. Nec obicem denique nobis ponit admissio foeminarum ad successionem Feudalem in Abbatia Fuldensi & Hirsfeldensi; id enim provenit vel ex singulari locorum consuetudine, vel privilegio aliquò vid. Rosenthal. de Feud. c. 7. concl. 31. Werner. Thummermuth. tract. quem inscribit: **Krumstab schleust niemand auß.** Carpz. disp. Feud. 2. th. 33. Dn. Struv. Synt. Iur. Feud. aph. 4. cap. 3. n. 3.

S. D. G.

ADDI-

ADDITAMENTA.

330

I.

Nobiles Immediati non habent Jus mittendi Legatos.

II.

Duces Bellici sunt Magistratus.

III.

Nullus nisi Status Imperii ad Comitiam vocatur.

IV.

Datur Dominium Eminens.

V.

Civis & Subditus non sunt idem.

VI.

Nautæ, Mendici, Cingari, aliique vagabundi non sunt Incolæ.

VII.

Recessus Imperii tam in vim Legis, quàm Conventions valent.

VIII.

Princeps Imperii testari potest sine solennitatibus.

IX.

Capitulum sede vacante Jus suffragii in Comitibus habet.

X.

Carneades, utpote Ethnicus, non malè divisit Jus omne in Naturale & Civile singulorum populorum.

XI.

XI.
Incestus, de Jure Gentium, inter solos ascendentes & descendentes committitur.

XII.
Matrimonium cum uxoris Sororis filiâ posse permit-
ti, Exercitii gratia defendemus.

XIII.
Graduum numeratio Jure Canonico inducta, inepta
est in lineâ rectâ, & absurda prorsus in lineâ Collaterali.

XIV.
Non satis causæ habuit Imp. Theodosius, cur conso-
brinorum conjunctiones prohiberet.

XV.
Electionem Imperatorum non ita liberam esse hodiè,
ut olim, non satis probat Limneus *ad Capit. Carol. V.*
art. 9. p. 171.

XVI.
Liberrimam illam Imperatorum constitutionem re-
bus Germanicis non satis convenire, quidam conten-
dunt; quibus nostrum suffragium adjicimus.




X 261 5899

KD17







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

DICÆ INAUGURA-
CO
EM CON-
UM JURIS
ONUM.

ino Numine.
nifici Jctorum Ordinis,
tri

ALBERTINA
DE
ARTINI, JC.

rof. Publ. celeberrimo,
DECANO,
ENTIA.

re Honores, Privi-
torales ritè ac legiti-
andi,

Examini subicit
CISTOPHORUS

ER, Lipsiensis.

Octobr. 1677.
omeridianis.

I,
anni, Acad. Typogr.

313.
1677, 2
15

4 1/2